

Oratio de acedia  
vitanda et  
diligentia  
amplectenda. Quam  
assistente divinâ  
...

Hasselgren, Elias Petri

*F1700 Br. 1076a*



National Library  
of Sweden

var. B

HASSELGREEN

Q Saml.

F1700

Ba 1076 a


Pv. Saml.

Före 1700

Lat. Tal A30

(Bm)





Var. de

In Pauli  
F. 1700  
Cat. tab. d. b. c.  
(1700)

I N I  
O R A T I O  
D E  
A C E D I A V I T A N  
D A E T D I L I G E N T I A  
A M P L E C T E N D A .

Quam

Assistente Divinâ Spiritus S. gratiâ

In Illustri ac Regia Finno-  
rum ad Auram Academiâ die 26.  
Februarij Anno 1660 publicè in Auditorio Majori  
pro concione pronunciabat

E L I A S P E T R I Hasselgreen.  
Alandus. S. R. M. Stipendiarius.



A B O Æ,

Excudebat PETRUS HANSONIUS Acad. Typ.



med. Ped.

Plurimum Reverendo & Excellentissimo Viro  
DN. M. GEORGIO C. ALA-

NO In Regiâ Academiâ Aboënsi, S. S. Theologiæ  
Professori celeberrimo, primario, utriusq; Ecclesiæ Aboënsis  
civitatis ac Nummënsis Pastori longè dignissimo, patrono,  
Mæcenati, præceptori, promotori, & benefactori meo  
ut certissimo, ita quo vis Reverentiæ cultu jugi-  
ter prosequendo.

NEC NON

Consultissimo ac Prudentissimo Viro

NB  
Consuli Regio

DN. NICOLAO Sieben/ in eadem cele-  
bri Fianingix metropoli Aboâ gravissimo.

UT ET

Reverendo, conspicuis & Humanissimis Viris

DN. GEORGIO Hörnich  
ante hac Ecclesiæ Suecanæ  
quæ in prædicta metropoli  
magni Ducatus Fianingix col-  
ligitur, symmistæ vigilantissi-  
mo; jam a designato Pastori  
in Chura amine meritissimo  
promotori & benefactori  
meo studiosè colendo.

DN. ERICO A. Sundet/  
per legionem ordinis pede-  
stris logistæ conspicuo, an-  
num & quod excurrit hos-  
piti meo liberalissimo, nunc  
autem fautori ac benefacto-  
ri meo plurimum hono-  
rando.


DN. JOHANNI Bachster/  
civitatis Aboënsis negotiato-  
ri primario, condiscipulo  
quondam suavissimo, nunc  
amico ac fautori certissimo.

DN. IACOBO Bachster/  
prænominate civitatis civi  
ac mercatori perassiduo iti-  
dem olim condiscipulo festi-  
vissimo nunc fautori meo  
indubitatissimo.

Hæc ingenij mei primitias in gratitudinis, observantiæ,  
honoris & amoris signum officiose offero consecroq;.

ELIAS PETRI Zaffelgreen Alandus.





# ORATIO

DE

## ACEDIA VITANDA ET DILIGENTIA AMPECTENDA.



Virtutem (inquam) in precio habere, vitiumque cavere omnium pij, prudentis & cordati hominis est, imo qui facile ab ijs se rebus revocari permittit, quæ cum aliqua turpitudinis labe incommodisve sunt conjunctæ. Verum ex vitij, pro nefas, tales enascuntur & oriuntur fructus, qui animos nostros blanditijs ita delinunt & occupatos tenent, ut non solum eos videamus, sed bellè insuper etiam nobismet placeamus, iisdemque libenti animo indulgeamus. unde morsui Aspidis non illepidè comparari possunt, qui gratâ quadam voluptate hominem læsum afficiens, quasi sine sensu eundem extingvit & necat. Hoc ipsum perpulchrè quoque expressisse videtur Homerus cum fingit Ulyssis socios, semel gustata arbore loro, ab ea postea discedere noluisse, ad eundem planè modum, semel susceptum dulce vitiorum venenum difficilimè potest relinqui. Sed subinde magis magisque ad-

*Oratio*  
lubescit, Virtutem a. expeti cum splendor & di-  
gnitas ejus intelligitur, vitia v. a bonis odio habe-  
ri, cum atrocitatem eorundem perspexerint,  
neminem inficias ire posse puto.

Quæ cum ita sint A. O. Magni ergo est momen-  
ti vitia crebris taxare & vituperare sermonibus  
ut in lucem producta, suisq; proprijs & genuinis  
depicta coloribus liquido, conspiciantur atq; sic  
odium sui justissimum in mentibus excitent &  
accendant. Nemo proinde vestrum A. Desidera-  
tis. & vos comilitones svavissimi, mihi quæso, suc-  
censeat si ego jam breviter non omnium quidem  
vitiatorum sed unius dumtaxat, nostro hoc seculo  
permultum, inter multos, præsertim eos, quo-  
rum, literis humanioribus, nocte dieq; invigila-  
re magni referret, usitati, utpote pigritiæ sive  
acediæ in actionibus honestis, lamina & incom-  
moda quædam recensere, ipsamq; proprijs suis  
non ceu deceret, sed quantum valet mea curta  
suppellex, pergam depingere coloribus, utq; hac  
ipsa ratione eandem, ut uberrimam omnium  
malorum radicem, unicuiq; odiosam & exosam  
reddere valeam, Non quidem vestri, O commi-  
liones, corrigendi vel emendandi ergo ad quod  
ipsimet estis paratissimi, quippe cum ipse igna-  
rus sim, qui vix pedem adhuc ex inscitæ pulve-  
re moverim, & propterea ipse maxime corri-

123  
gendus sim, sed partim, ut imperator fidelis mi-  
lites alioquin paratissimos nihilominus tamen ad  
prælia adhortatur; partim etiam ut ingeniolum  
hac ratione meum exercere, & paulisper exco-  
lere possim. Rogo itaq; humiliter & obtestor u-  
numquemq; vestrū A. omnium ordinum longe  
gravissimi, ut mihi, qui hæc breviter temporis por-  
tiuncula, non propriâ audaciâ vel industria, quæ  
non magna est, sed eximie benignitatis candori-  
sq; vestri aurâ fretus, verba facio, paternis,  
pro more consveto & benevolis auribus atten-  
denderé haud dedignemini.

Quis mortalium unquam effari, verbisq; satis  
dignis & rerum gravitati commode convenien-  
tibus delineare poterit, quam turpe, quam in-  
honestum quamque odiosum sit Divinæ Ma-  
jestati non obtemperare, qui graviter, se-  
riò & immutabiliter sancit & mandat omni-  
bus & singulis suis creaturis, ut opus sibi de-  
putatum certatim & sine excusatione efficiant,  
Soli præcepit lucem & calorem impertiri rebus  
nascentibus. Inducere anniversarias vicissitudi-  
nes, perpetuo suo & indefesso cursu distingve-  
re dies & noctes. Lunæ mandat, ut præsit no-  
cti, infundat humores rebus inferioribus, neces-  
sarios. Cæteras stellas jubet decorare cœlum,  
prædicare magnificentiam & providentiam Di-

vinam, atq; cum Sole & Luna hunc aërem quo  
fruihur & ex quo spiritum ducimus temperare.  
Terram jubet quot annis copiosos proferre fru-  
ctus. Volucres vagari in aëre, ut escam præbe-  
ant hominibus, & concentibus suis celebrent  
creatorem. Homini vero officium dedit labo-  
ranti juxta vocationem suam, cum in paradiso  
ita concionatus sit: In sudore vultus tui vesceris  
pane tuo. Imò nec ipse Deus totius mundi o-  
pifex unquam otio vacat, juxta illud: Joh. 5. Pa-  
ter meus usq; modò operatur &c. Angeli teste  
Apostolo sunt spiritus administratorij. Regum,  
Principum & aliorum Magistratum edictis ne-  
mo sine nota turpitudinis refragari potest, neq;  
qui Magistratus jussa violat, impunè auferet.  
Quam igitur turpe foret severo omnipotentis  
Dei mundano nolle obtemperare? Romani  
quondam sibi à severis imperijs Manlianis timu-  
erunt, quam impium foret mandato Dei tam se-  
veri tamq; potentis, adeo ut uno verbulo, totam  
mundi machinam dissolvere posset, susq; de que  
ferre? Deinde si quis Maximè Necessarium es-  
se otium vitare velle, inficias ire voluerit, adeat,  
quæso Agricola, & videat quantum ille, nisi sit  
gnavus, industrius & rusticarum studio incen-  
sus, perficiat. Quantum opifex, qui non de  
multâ nocte vigilant, mercator ignavus, miles

segnis

Segnis, num quid laude dignum exequi possint?  
Artium liberalium studia num absq; multâ vigi-  
lantiâ & labore assiduo floreat? certè parum  
vel planè nihil, testis est experientia. Otio præ-  
terea nihil incommodius, nihil periculosius, imò  
nihil execrabilius vel magis impium inveniri po-  
test. Infestos nos reddit Deo, juxta illud Math.  
3. Arbor mala quæ fructus bonos non fert ex-  
scinditur & in ignem conijcitur. Et Jer. 48. Male-  
dictus omnis qui facit opus Domini fraudulenter.  
Quodnam a. incommodum, quod malum tan-  
tum est, quin levius feratur, quam ira Dei? O  
quam grave est incidere in manus Dei irati?  
quam intolerabile est esse hostem Dei? Quam  
triste & luctuosum est servire Diabolo? Id n. non  
in hac solum vita dolores graves conscientia ad-  
fert, sed post mortem temporalem, mortem pa-  
rit sempiternam, tormenta & supplicia æterna  
Bonorum Angelorum amicitiam omnem & be-  
nevolentiam aufert: ut enim industrijs ac labo-  
riosis libenter adsunt, eos amant, fovent, & qua-  
si in manibus suis gestant; ita desides & otiosos  
oderunt ac adversantur. Quid namq; est homo  
destitutus custodio Angelorum, nihil certè ali-  
ud nisi larva ac spectrum Diaboli, cui suum ve-  
nenum inspirat ut rectâ viâ ad æternam damna-  
tionem deducat. Hominem deniq; universæ

naturæ invisum reddit & exosum, ut perpetuo  
cum hostibus vivere cogatur. Habet enim otio-  
sus infestas sibi omnes creaturas, & propitium  
neminem: invident illi homines, juxta Mureti  
dicteria: Quam felix puer est virtus in quo an-  
teit annos, illum omnes meritis certatim laudi-  
bus ornant; At contra, nemo alloquio dignatur  
inertes, vix pater ipse oculis illos satis aspicit æ-  
quis. Invidet illi cœlum, abominatur terra, &  
quocunq; tandem se recipit, nihilibi, nisi hostes  
invenit. Sed adeo ipsum detestatur ut nisi pijs  
parceret, manifesta luminis sui obscuracione i-  
ram suam adversus illum declararet. Terra tam  
inimica est ipsi, ut gemat quoties ab eo concul-  
catur. Quid multa? omnes pecudes & volucres  
quibus vestitur aër, gravissimè merent, quod tam  
inutili & ingrato suo alumno victum præbere  
cogantur, & optant illum infra omnes mortuos  
esse amandatum. Non hoc solum, sed pauperi-  
em quoq; affert sibi indulgenti maximam, Salo-  
mon enim ad pigrum ait: veniet tibi quasi via-  
tor agestas, & pauperies quasi vir armatus, &  
prov. 24. inquit: per agrum hominis pigri tran-  
sivi, & ecce, totum impleverant urticae. Terra  
enim nullo labore culta, nihil nisi spinas & tri-  
bulos profert, aër non commotus corrumpitur:  
Domus non habitatae corruunt. Viæ non tritae

sylvescunt: Instrumenta musica, quæ non pulsantur destruuntur: ferrum sine exercitio rubiginem contrahit: Aqua stagnans, non nisi ranas, bufones & serpentes gignit: Equus generosus in stabulo quiescens, marcescit. Imo quod majus est, exitium parit miserabile. Quænam quæso est causa, cur tot regiones, tot urbes & oppida, quæ quodam tempore quidem florentissima fuere, ut Ægina, Megara, Pircus, Corinthus, Hierosolyma, Sodoma & Gomorrha &c. nunc prostrata & diruta jacent, æternum perire, nonne otium & luxuries? Quid quod januam aperiat Diabolo, ejusq; tentationibus, pulvinar enim Diaboli appellatur. Exempla nobis affatim suppeditat Sacra Pagina: David quando exercitavit se in militia, non insultavit ei luxuries, sed postquam in domo otiosus remansit, statim patuit janua Sathanæ, qui allexit ipsum, tum ad adulterium cum etiam ad committendum homicidium Samson dum cum philistæis pugnavit, non potuit capi ab hostibus; sed postquam dormivit in sinu faming, & otiose cum illa remansit, mox capitur & cæcatur ab hostibus. Salomon dum occupatus esset in ædificatione Templi, non sensit luxuriam, sed mox recedens ab opere persensit insultum luxuriæ, & deficiens, fæmina instigante ad idola, adoravit in thalamo vitulum aureum. Huic ergo maxime consentanea est sententia Catonis: Homines

nihil agendo malè agere discunt. Hinc quoq; à Syracide Magister & Doctor Omnis malitiæ appellatur. Unde non immeritò Hieronimus aliquid operis, ait, facito, ut semper te Diabolus inveniat occupatum. Neq; n. leviora duntaxat delicta, sed gravissima etiam & nefaria crimina, quæ in otij ludo addiscuntur, multæ inibi malitiæ nomine veniunt, etenim per hanc (otiositatem) ceu loquitur Augustinus accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc inflamamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicatè pasci, per hanc suffocamur prætiosè vestiri, per hanc ad superfluum dormitionem trahimur, per hanc deniq; ad verba secularia ducimur, tandem exclamat idem Augustinus. Nunquam is civis cælorum erit, qui otiositatem amaverit. Atq; hæc est causa, cur Beatus Ambrosius non dubitavit, tempus belli & persecutionis, quo labor, tempori pacis, quo otium viget, antepondere. Eademq; de causa S. Hieronimus non semel otium appellavit rubiginem sapientiæ & ingenij: ut Quemadmodum tempore pacis videmus arma bellica splendore suo destitui & rubigine obduci; sic in otio animus noster exercitatione virtutum destitutus, quasi torpescit & rubiginem contrahit. Ægyptijs data fuit lex, qua singuli cogebantur nomina sua apud præsidem profiteri, & qua arte sustentarentur, ostendere, quod si quis

mentiretur, aut injusto questu viveret statim capite  
plectebatur. Nihil dico de tempore, cujus pigritia  
jacturam facit maximam, imò non secus ac fur-  
nocturnus, juventuti idem perperam suffuratur,  
quamvis tempus à Theophrasto sumptus prætiofis-  
simus statuitur, eo quod semel elapsum, nullo præ-  
tio recuperari potest. Etenim omnia sunt aliena  
(referente Seneca) tempus autem tantummodo  
nostrum est, propterea temporis (monente eo-  
dem] prætium summum est ponendum, diesq; ma-  
gni æstimandus, ut n. quo prætior est res hoc & di-  
ligentius solet asservari, & impendi circumspecti-  
us; ita temporis, quo nihil est prætiosius, summa ha-  
benda est ratio, ne quid effluat sine fructu. Si nam-  
que curatores dari solent ijs, qui gemmas & aurum  
temerè profundunt, quæ tamen caduca sunt: quæ  
randem erit insania, tempus, immortalis Dei munus  
pulcherrimum, aut otio, aut inhonestis studijs tur-  
piter consumere? Quid n. perdis, cum tempus per-  
dis, nisi vitam? At vitâ quid potest esse charius?  
Disce ergo dum tempus habes, ne tempora perdas  
Nam si perdis tempus, perdes cum tempore fru-  
ctus. Et cum gemma perijt, jacturam vocas, cum  
totus perijt dies, h. e. bona vitæ portio, jacturam  
non vocas? præsertim cum illa perditâ, aliundè pos-  
sint recuperari, temporis irreparabilis fit jactura.  
Præterea illa, cum tibi pereunt, alijs plerumq; lucro

sunt, at temporis dispendium in nullius transit compendium. Nullum est damnum, ex quo non aliquis emolumentum aliquid sentiat, præter damnum temporis. Adde his quod illarum opum jactura sæpè saluti fuit, Nam divitiæ plerumq; vitiorum materiam ministrant, ita ut præstet easdem temerè profudisse quam attentè asservasse. Quanto cuiusquè rei usus honestior, tantò turpior profusio; At nihil honestius, nihil pulchrius nihilq; præclarius esse poterit, quam bonas horas benè collocare. Illa ut quæ maximè serves, sæpè tamen vel casus eripit, vel homo tollit, ut jactura te calamitosum duntaxat, non etiam turpem reddat; At temporis amissio, quoniam non nisi nostro vitio contingit, non miseros solum, verum & infames reddit. Pessimum infamiæ genus, quoties culpa in nullum alium conferri potest, præterquam in eum, qui patitur malum. Illis fundos aut ædes mercari poteras, bonam mentem non poteras. Postremò de illis malè insumptis patri fortassis rationem redditurus eras: De horis male transactis Deo, quanto igitur homine major est Deus, tantum tempus præstat divitijs. Idcirco, Discite puer dum tempus habes ævo puerili, ne te non didicisse fleas ætate senili, & dum juvenes estis, & tempus habere potestis, artes discatis, ne quando malè pereatis. Et rursus: Vive carens vitio, tanquam sis cras moriturus

turus, intendens studio, quasi vitâ non cariturus. Quocirca prudentes & cordati homines, omnes horas omniaq; temporum momenta complectuntur, imo honesto alicui & assiduo operi quotidie manum iniiciunt, quo minus ex craftino pendent. Nam æstas non semper erit, componite nidos, inquit Hesiodus: Sera namq; est in fundo parcimonia, serò feruntur falces post messem, serò plorat Esau, serò conantur intrare fatuæ virgines, serò venit ad colligendum Manna port ortum solem, aut die Sabbathi. Sed revertar ad id quod mihi est propositum. O ergo terribile & horrendum vitij genus acedia, o ingeniorum & non modo juventutis, sed omnium etiam ætatum pestis pestilentissima, quæ tot malorum author, fons & origo es. Te ergo omni nisu, studio & conamine est vitandum, tibi resistendum, abs te abhorrendum. Nam otiosus, non sibi solum nocet, sed polluit, & inficit suo vitio etiam alios omnes, quibus cum vivit. Est enim in exemplis magna vis, quæ quasi trahit homines ad imitationem, ceu, una prava pecus inficit omne pecus. Vice versa verò qui assiduus est, & rerum suarum satagit, is voluptatem Deo affert maximam & jucundissimam, cum ejus sit cibus lautissimus pasci inter lilia, i. e. cando-re & odore virtutum delectari. Ad hæc ipse

oculos diligentibus & assiduis, tam admirabili luce collustrat, ut facilimè cernant & notent omnia peccata, tentationes & præcipitia eorundem, quippe qui majores etiam in singulos dies accipiunt vires ad benè agendum, majoremq; in studijs progressum, Deo conatum adjuvante, unde fit, ut qui initio difficultatem & pugnam in disciplinarum atq; scientiarum exercitatione sentiebant, magnam post progressum aliquem factum, in iisdem experiantur & facilitatem & dulcedinem, propterea quod cordi robur, ad agendum ea quæ bona sunt, accedit. Auget Deus in ipsis rerum spiritualium gustum, conscientiæ puritatem & gaudium, in paupertate & ærumnis patientiam; in verbis & exemplis efficaciam, in diligendis & adjuvandis proximis amorem & benevolentiam: accumulatur ijs cælestia sua dona & cum amore divino copiosissimam divinorum mysteriorum notitiam infundit. Novis enim beneficijs semper exornat eos, qui veteribus benè usi sunt, hoc significavit Christus in Parabola de nobili Luc. 19 qui singulis suis decem servis decem dedit minas, dicens: Negotiamini dum venio, & ei, qui negotiando unâ minâ, decem minas acquisierat, jussit auferri omnes minas ejus, qui nihil negotiando acquisierat. Unde  
& con-

& conclusit parabolam hâc admirandâ sententiâ:  
Omni habenti dabitur & abundabit: ab eo autem  
qui non habet, etiam quod habet auferetur. Fru-  
gi homines dum vident progressum auxilio Dei  
in instituto suo, majore adhuc desiderio flagrant  
fructum faciendi, non aliter quam milites boni u-  
bi semel initium fecerunt congregandi cum hoste  
etiam si hostem irruere arrideant; tamen fortiter  
dimicare pergunt, quamdiu præsidia sociorum non  
desunt, & spes magnorum affulget spoliiorum. I-  
mò ceu nautæ dum mare transmittunt, contra ad-  
versos & obluctantes fluctus cursum suum tamen  
retinent, donec in portum tranquillum perveni-  
ant: quantò æquius nos, qui iter cæleste ingressi su-  
mus nullis difficultatibus ærumnisve ab instituto  
semel cursu revocari debemus, cum patrem adju-  
torem, & asylum habeamus Christum verum Deum  
& hominem firmissimâq; spe victoria & præmij cœ-  
lestis, omnibus pro virili certantibus, promissi sem-  
per nitamur. Quid ais? difficilis si tibi videtur labor,  
scies quod nil sine magno & assiduo, vita, labore  
dederit mortalibus, qui ergo nucleum voluerit, nu-  
cem frangat, oportet. Cerne, quæso, quantos in  
ipse Christus pro nobis sustinuit labores, quibus in  
ipse nostrorum laborum difficultatem omnem  
sustulit. Vide quantus passim ab omnibus susti-  
netur labor ad consequendos honores, opes, aliaq;  
peritus

pèrituras hujus mundi vanitates, imò ab omnibus  
sanctis, qui ad virtutum & honorum culmen per-  
venerunt. Contemplare igitur omnium creatura-  
rum etiam ratione carentium indefessum laborem  
pro virili quoq; pabulo consequendo, quis n. nescit  
quamdiu araneus pro musca, felis pro musculo ca-  
piendo ad foramen advigilet? quis ignorat, quan-  
tum supra vires formica æstate sudet pro esca hy-  
berna, quod exemplum Salomon ad pudefacien-  
dos ignavos, protulit. Hisce permoti omnem ura-  
mus & absumamus torporem & ignaviam. Cum  
igitur ejus tanta sit turpitudine, tanta sequantur pe-  
ricula, tantæq; incommoditates, imò tanta ad con-  
sequendam tam civilem quam æternam beatitu-  
dinem, remora atq; impedimentum, forti ergo &  
generoso eidem pectore resistamus, maturè præ-  
venientes laquæos ejusdem dirumpamus. Et quam-  
primum suppullascere inciperit, radices ejus disse-  
cemus. Vice versa v. cum tanta sit ipsius diligen-  
tiæ utilitas, necessitas, jucunditas atq; gloria, ipsi  
ergo, non tantum juventutis nostræ florem, ve-  
rumetiam omnem ætatem credamus, ad illam ve-  
lis remisq; contendamus. Illa nos ad fontem saluta-  
rem ducet, adq; pascua reducit, metam amænâ  
floribusq; plenam ostendet, adq; portum tandem  
transvehet tranquillum & jucundum.

D I X I.

